PETRI GEMELLII THEOLOGI PARISIENSIS DE CHRISTIANI HOMINIS &...

Petrus Gemellius



lium ecclesiis consultum uolunt, ut quantum in ipsis est, nihil non facere, & perpeti parati sint, quò inter Christiani nominis consortes, sub uno omnium Pastore Romano, successore beati Petri, Christi, in terris uicario, pax vera, apostolico caritatis symbolo obsignata, perpetuis temporibus perduret, ut uere dici ædificatio & templum Dei mereamur. Hoc ego animo præditus, Beatissime Pater, diuinã clementiam, quotidie imploro, quò tandem Ecclesiæ suæ misereatur, & hos ipse motus cõponat, ac corda eorum conuertat, qui sic, bonorum omnium cum offensione, in hac rerum, perturbatione se gerunt, vt cum se pacis publicæ studio teneri glorientur, omnes tamen belli rationes, impudentissimè consectantur, Etsi enim præsentem rerum omnium perturbationem, peccatis nostris, in primis deberi candidè fateamur, illud tamen in aperto est, illius instrumenta, atque adeò authores eos non esse, qui pro Euangelio, contra heresim, pro veritate, contra hypocrisim & mendacium, contra suspectam nouitatem, pro fideli antiquitate, contra omnes aduersariorum insultus, hactenus strenue depugnarunt, verùm eos potius qui maiorum religione derisa,

omnia

omnia uel nominis, uel generis sui splendore, uel fumosis suorum imaginibus, quorum vtinam corpora secuti fuissent, si corporibus verè inclusas imagines, imitari noluissent, vel auctoritatis & fauoris excellentia, uel rerum caducarum emolumentis, metiuntur, qui tamen ut possunt, uelle deberent ex officio et gradu, quo cæteris omnibus se antecellere, & sententiæ principatum obtinere putant, afflictis & collabentibus rebus ocissimè occurrere, ne, cum vitæ præsentis periculo, populus, Christi sanguine redemptus miserabili errore inuoluatur, vel vt saltem ad maiorum suorum gloriam, infamiam non attulisse sed clarissimis ad imitandum exemplis, liberales filiorum animos, commendatione rerum à se præclarè gestarum, nusquam intermoritura, excitasse verè & syncerè gloriari aliquando posse videantur. Verumenimuero, quando ægrè sperari potest, vt id nostris temporibus, contempta Ecclesia, spretaquæ bonorum omnium dignitate, in tanta vitæ & morum corruptione accidat, nisi singulari quodam beneficio Deus clemẽtissimus, nobilissimum et antiquissimum, Franciæ Regnum (cuius nescio

quomodo

quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color eius optimus) & finitimas regiones oculis ſuæ miſericordiæ reſpiciat, infectas ſibi lo venenoſi ſerpentis, multorum mentes, hyſopo ſeu ſanguine dilecti filij ſui aſpergat, vt carnalis deſiderij extinctis ignibus, ſalutaribus pœnitentiæ riuulis ſuper niuem dealbentur, ne geminorum quaſi in vtero Rebecæ diſſidentium Iacob & Eſau, Abelis & Caini, Iſaac & Iſmael, Ioſeph & fratrum eius tragicos & (ſi licet ſacris prophana permiſcere) Romuli quondam & Remi conditorum gentis Romanæ miſerandos exitus audiamus.

Ecce, fraterno maduerunt ſanguine muri.

Nihil piis & cordatis, vt Ennij verbis vtar, hominibus reliquũ eſſe videtur, quam vt tanquã fideles ſerui, faſcibus ſummiſsis, diem aduentus Domini patienter ac conſtanter expectẽt, pro Eccleſiæ fœlici ſucceſſu, pro neceſſaria inter principes Chriſtianos concordia, diuinam maieſtatem, ſanctorum omnium patrocinijs ac meritis ſuffulti precentur, contra venenatas huius mundi illecebras, animos aſsidua ſanctorum Patrum lectione præmuniant, quorum ſolidiſsimis rationibus, ſacroſanctis ſentẽtijs, ita mẽtem impleant, vt vanis fallacibus & peruer-

ſis opinionibus aditum omnino præcludant, quorũ auctoritatibus firmati,maiore in Eccle ſia cũ fructu præeſſe poſsint & ualeãt, ac de ſa lutaribus profuturiſque auxiliis, ad retinendũ Eccleſiarũ omnium ſtatum ſerio cogitent. Ec cleſia enim,etſi vna eſt,plures tamen ſub ſe Ec cleſias habet,quæ ſe habent tanquam membra unius perfecti corporis, ſic enim & gentium Apoſtolus vnã domum Eccleſiã Dei appellat: vt autem aliqua parte domus, cui aliæ,commiſ ſura,ac contignatione quadam inter ſe cohæ rent, collapſa, de reliquarum partium conſer uatione meritò timetur, ſic analogia retenta Apoſtolus, Theſſalonicenſium ex aliorum rui na iacturam quaſi pertimeſcens,inquit: Orate pro nobis,fratres,vt ſermo Domini currat & clarificetur ſicut apud uos, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium fides eſt.Nam haud dubie tũc res no ſtra agitur,paries cũ proximus ardet, & uicinus ex uicino malo,ſemper male habet. 2.The.3.

Ac neglecta ſolent incendia ſumere uires.

Ergo huic incendio,quod uicinas regiones ita crudeliter ſuperioribus annis inuaſit, ne ad cæteros quaſi cancer ſerpat, commiſerando affectu,conſilio & opera,occurramus, haud ſi-

miles

miles ſpectatoribus uicinæ domus conflagra tionis,quorum alij,quaſi ad ſe nihil pertineat, ſedentes in porta,mouent capita, alij, etſi quæ rulis uocibus uicinis condoleant,nihilo tamen celerius pedem mouent,afferunt uel referunt, ut aquam hauriant uel deferant aut certa alia quadam via,incendij flammam ne ad ſe tādem perueniat, reſtinguant. Quod ſi naturalis fauor,debet maxime laborantibus,ut in prouerbio eſt, ſuffragari, haud alienius feciſſe uidebor, ſi apud veſtram ſanctitatem, de Regum Gallorum obſeruantia, erga Romanam Eccleſiam & inſigni ac aſsiduo defendendæ ornandæque huius Sedis ſtudio,quo cæteros ex omni antiquitate longè ſuperarunt, præmendo me,nonnihil dixero,Non quód B.P. veſtræ paternæ erga Galliæ Reges beneuolentiæ & ſollicitudini quam geritis omnium Eccleſiarum, commemoratione beneficiorum ac rerū præclare geſtarum,oratione,aliquid addi poſſe exiſtimem,quippe quæ nihil aliud dies noctéſque cogitat,quàm de conſeruanda fide & Religione,in locis in quibus adhuc viget, reponenda, reſtituenda, in quibus naufragium feciſſe putatur,ſed ut condolendo ,iuſto dolori Illuſtriſſimorum D D. meorum Cardinalium,Senonenſis

nensis, & Rambouilleti, respiciendo, cùm ad illud nobilissimum Lilium, quod antea Druidum sapientia & simplicitate Gallorum, iuxta Beati Remigij Archiepiscopi Remen. prophetiam, sub obedientia Romani Pōtificis, syncera religione seruata, vigebat, florebat: tū vero, ad sic deformatā Galliam, patriā illis carissimā, hæreseos pruritu, sese dilacerantem, discerpentem, flamma & ferro deuastantem, piam, & gratam animi significationem, vniuersæ galliæ testarer, quæ me, Lutetiæ Parisiorum, iuuenem, tanquam ad mercaturam bonarum literarum profectum, multos annos liberalibus disciplinis, temporibus, inuictissimorum Regum, Francisci primi & Errici secundi, erudiuit, instituit, eruditum, consuetis honoribus, quibus retineri posse literarum dignitatem, nec parum excitari Iuuentutem, veteres sibi persuaserant, supra æquales honestauit: Postmodum repetito, iure quodam suo, studiorū meorū fructu, docentē me, & concionantē, sub Francisco secundo, & Carolo nono, incipientibus ægrotare, & exulcerari in Gallia rebus, habuit. Quod officij genus à me pręstiti, gratissimū fuisse, Academiæ Parisiensi, cōmēdatitię literę, solis benemeritis, Academiæ Rectoribus & Prytanęo dignis hominibus, con

Greg. Turon. lib. 2 c. 30. et 31.

Emilius lib. 1.

cedi solitæ, scriptæ ad Reuerendissimum, fide, pietate & vitæ integritate, spectatissimũ, virũ D. Matthæum Contarellũ, Sanctitatis uestræ Datarium, abunde testantur; quarumquidem literarum exemplar, ad calcem huius narrationis libenter describerem, nisi planè superfluum videretur, vt omnes intelligant quàm honesta ratione, Academia Parisiensis, Alumnorum suorum virtutem, apud principes viros commendatione excitando, suam dignitatem hactenus retinuerit. Quibus, obnixe rogatur vt exanthlatorum laborum meorum contemplatione, me apud vestrã sãctitatem, cui omnes studiosos esse perquàm commendatos intelligit, post fœlicium pedum vestrorum oscula, officiosissimè & ex animo velit, commendare; ingratus sanè ac expers omnis sensus planè uiderer, cum nihil referat quis sit qui id officij præstet, Burgundus, Italus, Hispanus; Neque enim agitur de finibus agrorum, ditionũ, vel alijs rebus de quibus inter se principes Christiani contendunt, sed de religione, de fide, de statu ecclesiæ, pro quo omnes sine exceptione sollicitos esse oportet, qui de filiatione ecclesiæ, sub uno Christi Vicario, gloriantur. ingratus, inquam, uiderer, si infælicitati Galliæ quæ vicinis totique

orbi Christiano sua clade nescio quid sinistri portendit, non misererer, Populum Christianum ex officio ad ieiunium, fletum, saccum, cinerem & orationes, quæ in fide nihil non impetrant a Domino (cum nihil aliud in ista causa præstare possim) ad sedandos Galliæ tumultus, dicendo non excitarem, degeneres eorum animos rubore non suffunderem, qui obliti, & maiorũ & nobilitatis, & fidelitatis, & religionis, tragicos istos tumultus, cæteris spectantibus, neutiquam sibi parcentes, concitarunt, qui si copias educere & vim suam cum fœderatis Sanctæ sedis coniungere voluissent, contra immanissimum Turcam, longè latèque imperii Christiani fines dilatassent & nobilitatem a maioribus acceptam, posteris suis insigni aliqua accessione cumulatam reliquissent, Melitam, Siciliam, Calabriam, Sardiniam, Venetias, Maiorcham, Viennam & vno uerbo uicinas Turco regiones metu liberassent. Hic appello B. P. contra huiusmodi prophanos, impios, sacrilegos, minaces uultus beatissimorum Apostolorũ, Petri & Pauli, Hic appello vindices ac vltrices manus Christianissimorum Regum Clodouei, Pipini, Childeberti, Martelli, Carlomãni, Godofredi Billonij, qui nulla ex re maiorẽ gloriã quã in frangendis,

Franci omnium primi pro religione signa cũ Christi

ac domandis religionis catholicæ hoſtibus, defendendaque Apoſtolicæ ſedis dignitate peperere runt. Nec credo gentem in toto orbe terrarum poſſe nominari, quæ apoſtolicæ ſedi laboranti tam ſæpe ſubuenerit, eamque Tyrannorum iniuria oppreſſam non in priſtinam modo dignitatem reſtituerit, verùm ita reſtituerit, ut nulla alia tam multis ornamentis, tam firmis præſidijs, affecerit, munierit. Ob quæ præclare fortiterque geſta, ab Imperatoribus Rom. maximis muneribus donatos, a ſummis Pōtificibus egregijs nominum titulis illuſtratos, priuilegijs auctos, prærogatiuis, ſingulari fauore nobilitatos, nemo eſt, qui uel hiſtoria uel auditione aliqua non acceperit. Quæ omnia ſi uoluero percenſere numerando, quid primum, quid poſtremū eloquar non uideo. Ergo B. P. perge ut facis; & Galliæ Reges paterna beneuòlentia & caritate complectere, Recordare quod ſemper a Clodoueo, viguit in Regibus Galliæ iuuandi eccleſiā ardentiſſimum ſtudium. Quandocumq; enim tempora tulerunt ſe regnumque ſuum in apertum diſcrimen coniicere maluerunt, quam laboranti ſedi & eccleſiæ deeſſe. Conſidera B. P. quod hæc Hugonotæa peſtis ex colluuione omnium nationum & hæreſeon collecta, quę in

Gallia

hoſtibus contul erunt. Aemilius lib. 2. ſabell. lib. 2. ęneade 8.

Anaſtaſius Imperator Clodoueū, ob Vicegotos et propria manu Allaricū interfectum, Blatteā miſit et coronam aureām magni pōdoris eūq; per legatos ſalutat Chriſtiani nominis defenſorē, liberatorē Imperii. et generis humani patrē

Gallia tam crudeliter graſſatur, triumphare de Regibus Chriſtianis nō poteſt, quin uicinorum omnium cum periculo et errore, potentiam, & auctoritatem in diſcrimen adducat, Perge, inquam, communis omnium noſtrum Parens, & Paſtor, prouidendo paci omnium prouinciarū, propitiatorio ſacrificio, vt ſoles, Deum, diſsimulantē hominū peccata propter pœnitentiā, exora, ut tibi cōmiſſæ oues, dignis flagellis caſtigatæ, in ſua miſericordia reſpirent, ut ſalutari pœnitentia ad illum conuerſæ, benedictione cœleſti accepta, a cunctis mentis & corporis periculis defenſæ, non ultra dentur opprobrium in gentibus, ut dominentur eis exteræ nationes, & dicāt, ubi eſt Deus eorū? Perge, inquam, B.P. Nā ſerò medicina paratur, Cum mala per lungas in ualuere moras, & ſero nimis defugando Annibale ad portas ſtante inter ciues deliberatio inſtituitur. Ecce Tempus & cōcuſſæ Regiones inuitant, urget Religio, clamat in cœlum vox Populi, Pietas ſuadet, Caritas expoſtulat, quàm miſerè totus mundus gladio feriatur aſpicitis, quibus quotidie perſecutionibus populus intereat, auditis, Ecce depopulatas Vrbes, euerſa Caſtra, & Monaſteria deſtructa, In ſolitudinem agros, propediem reducendos: Sic enim, Francus

Agricola

Eclo.1. Agricola, cum Tytiro virgiliano, quæritur.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit
Barbarus has segetes? en queis conseuimus agros
Insere nunc Malibee piros, pone ordine Vites

Vt iam iam, sic vndique tumultuante orbe terrarum, a nobis merito repetenda videantur, quę de insigni Romani Imperij seditione, magis orator, quam poeta, Lucanus versibus expressit.
Lib.7

Trepido confusa tumultu.
Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis, multorum pallor in ore
Mortis uenturæ est, faciesque simillima fato.
Aduenisse diem cui fatum rebus in æuum
Conderet humanis & queri Roma quid esset
Illo marte palam est: Sua quisque pericula nescit
Attonitus maiore metu.

Quamobrem, vt hanc pietatis regulam ipse pro mea tenuitate sequerer, hanc consolandæ, & iuuandæ reipublicæ Christianæ rationem, meæque professioni quam decentissimam fore putaui, si in summa desperatione, & conclamatis multorum relatu & literis Christiani Imperij in Europa rebus, in Germania quidem, Polonia, Venetia & alijs ex vicinia immanissimi Turcæ, in Anglia verò, Scotia, Belgi-

ca,

ca, & Galliæ partibus ex internis, & domesticis inter seipsos dissidijs, Populum Christianum ad implorandam diuinam misericordiam, & flectendam eius vindicem iram, seriò prophetarum doctrinam insequendo, veterumque Christianorum ad nostra vsque tempora, ex sacris scripturis memoriam laudabilibus exemplis recolendo, ad ieiunium, orationem, eleemosynas, potentissimas ad Deum placandum machinas, non minus ex officio, quàm ex syncerò pietatis, & caritatis affectu, mihi cum omnibus uerè Theologis carissimo, hoc tempore cohortarer, non parum excitatus ueterum Galliæ Regum exemplis, qui sentiētes se Monachorum suffragijs, ac Sacerdotum orationibus, non mediocriter belli pacisque tempore adiutos: Xenodochia, Cœnobia pulcherrima fundarunt, Episcopatus ac sacerdotia plurima magnifica largitione dotarunt, ut dies ac noctes, Diuinam Maiestatem, viri religiosi coniunctis animis precando, pro fœlici Regum, & rerum gallicarum successu facilius exaudirentur. Quod equidem consilium quantum Reipublicæ gallicanæ profuerit, gallica testabitur historia, Philippus enim Augustus, collatis, cum Ottone Imperatore signis,

gnis,

gnis,ubi Lutetiam Parisiorum,uictor, rediisset, fælicemque belli exitum, primoribus regni cõ memorasset, dixisse fertur, Miratum se aliquan do, qu òd sui Maiores thesaurum Ecclesiæ tãta bonorum ac dignitatum accessione cumulassent, Nunc uerò,minimè miraturum se,quin po tius,pie, à maioribus inchoata, instituta,auctu-rum,cõfirmaturum.Petrum Bertrandum,Eduen sem, clarissimũ suo tempore Iuriscõsultũ, qui & causam egit Ecclesiasticorum coram Philip po Pulchro, contra Antropomorphitam il lum, Petrum de Cugneriis, cum de Sacrilego quodam & oppressore sacerdotum, ageretur multis ostendisse dicunt, hanc vel vnam ratio nem esse, cur Franci, tam prompto animo suis Regibus obsequerentur: Quod nimirum po-pulus sacerdotes summa ueneratione comple-cteretur, & Reges in omnibus se patronos ac defensores ecclesiarum, & sacerdotum, vt ueros ecclesiæ filios decebat, preberent: fretus denique paterna, & summa erga nos Sanctitatis uestræ clementia, cui me tan-tûm debere fateor, quantum quiuis homi-num, cuiquam post Deum se debere planè & gratulanter fateri & agnoscere posse uidea-tur. Nihil dicam amplius, Præstat enim

hoc

hoc apud Deum agere, quàm apud homines, satis gratam animi, pro tam multis gratijs, significationem uerbis explicando, non assequi, Quandoquidem nullo augmento gloriæ opus hábet principatus uester, ut neque splendore Lucifer: Si verò nonnihil augmenti ad gloriam vestram, Beatissime Pater, quæritis, non potest certe ista, cuius nunc offertur occasio, maior, illustrior, Deoque propinquior, obtingere.

Duo sunt, Beatissime Pater, quę a Theologis, qui a diuinis oraculis, nō ab humanis opinionibus, appellationē sortiti sunt, quæ pro concessa diuinitùs gratia, præstari debent: vnum rerū diuinarum scientia, alterū Christiani hominis officium, Verum, cum sit rerum arduarum, & paucorum scientia, & huiusmodi, vt ea, maxima ex parte, homines, citra suarum animarum iacturā carere possint: officiū uero tale sit, vt sit omnibus & cognitu & præstitu ita necessariū, vt qui eo careat, eū salute quoq; carere oporteat. Ideoque Theologorum parentem, & Magistrum Christum, de salutari præceptorum, & mandatorum obseruatione coram discipulis locutum, *Matt. 5.* non solum docuisse accepimus, qui contra uel minimum horum præceptorum fecerit, licet ita

doceat homines minimus in regno cælorum. Qui uero præstiterit & docuerit magnus uocabitur, sed & ipsum re & exemplo primum comprobasse, ut nimirum ostenderet, regnum Dei non esse in sermone, sed in ostensione uirtutis Dei, stabiliendamque euangelicam prædicationem duobus, exemplo, scilicet operando, & verbis, prædicando atque iubendo. Verissimum sanè illud est, maxime, in ea Philosophię parte quæ ad vitam & mores spectat, virtutis laudem omnem, in actione consistere: Quandoquidem factores legis iustificandi sunt, non auditores tantum. Neque enim scientiæ rationem expostulauerit Dominus, cum vnumquemque pro suis factis, in die iusti Iudicij coronabit, Itaque uas electionis Paulus, In doctrina fidei, nihil licet hæsitaret; Timeo, inquit, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar, Tanti momenti est ipsa officij ratio ad salutem, tam utilis & efficax vitæ ratio, quæ doctrinæ præceptis respondet, ut idem Paulus, constanter concludat, primas tenere, duplicique honore dignos esse presbyteros, qui rerum diuinarum mysteria, & arcana ita docent, ut summam negotij partem in actione & officio positam arbitrentur, Vt enim in Milite Synesius ma-

Rom. 2.

1. ad Timo. cap. 5.

Synesius in epist.

num

num desiderat, ita in Christiano, quisquis ille sit, non nomen, non lingua, sed vitæ, & officij ratio, imprimis, spectanda est. Quis enim ingenue loquendo perfectum Christianum, & multó minus Ecclesiastem dixerit; quem sciuerit cessatrici desidiæ deditum, vix unquam, uel seriò quæ Christiano conueniunt, cogitasse? quem tám multa, quæ hisce hominum malitia, exulceratissimis temporibus, occurrunt, conniuentibus oculis, Talpa cæciorem, dissimulanter præterijsse cognouerit? cuius hanc esse (præter illam cõmunem cum cæteris Christianis) officij partem, sacræ literæ, Concilia œcumenica, consuetudines Ecclesiarum, Sanctorum Pontificum decreta, apertè demonstrant, pro ratione nimirum, temporum, locorum, qualitate personarum, & criminum, docere, mouere, terrere, consolari ac cætera omnia facere, quæ non minus prudenter, quám scienter, ad omnium salutem iudicauerit expedire, Cum ad multa alia se se conuertendo, tùm ad has, & similes Dei Omnipotentis propter silentium comminationes: Quasi vulpes in deserto prophetæ tui, Israel, erant, non ascendistis ex aduerso, neque posuistis uos murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in do *Ezechiel* 13.

mo Domini. Et Prophetæ tui, uiderunt tibi fal sa & stulta, nec aperuerunt tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent. Hinc est quòd tam sollicitè Apostolus, ad Titum discipulum scribens, ab Episcopis efflagitat, vt potentes sint in doctrina sana exhortari, & eos qui contradicunt redarguere: Quæ duæ Euan gelicæ prædicationis principes partes esse uidentur, & in quibus, tam strenuam nauarunt operam & ueteris testamenti patres ac prophetæ, & quasi medius Ioannes Baptista, quique eum secuti sunt, diuino afflati spiritu (cuius inter cœtera hoc prolusorium fuisse officium certissimum est, arguere mundum de peccato, de iudicio & Iustitia, ut Spiritu accepto in linguis igneis Apostoli, per quos Christus Ecclesiam suam erudiuit, & qui secuti sunt ad nostra usque tempora Doctores, ad utilitatem publicam Christianorum, omnes suas cogitationes conferendo, tam diligenter, in medio generationis prauæ & adulteræ peregerunt, vt credentes non esse alligatum verbum Domini, peccantes publicè, corám omnibus arguerint, opportunè, importunè, increparint, vt et cæteri timorem haberent, et per prophetas Dei comminantis indignationem effugiendo, ne

1. ad Timot. cap. 5.

gra-

grauior propter ſilentium à uiolatoribus mādatorum, condemnationis pæna exigeretur, populum ad pænitentiam corripiendo prouocarunt: Cuiusquidem partis, quæ in reprehenſione poſita eſt, actio, cùm ad ſui cognitionem pulcherrima et ad moderandos corporis et animi affectus neceſſaria ſit, tum executio ſemper difficilis et perobſcura extitit (vt in ea parte pauci, à ſuſpicione errati etiam remotiſſimi, videantur inter homines fœliciter uerſati) Plerique enim ex caritate correpti, ad iniuriam contumeliæ pertraxerunt, odium et inuidiam facile conciliat, qui ſibi ex officio in vitam et mores aliorum dicendum ſtatuit, vt enim: Mundus hic aſſentatores non amare; ita reprehenſores, qui teſtimonium perhibent de illo quòd opera eius mala ſunt, non odiſſe non poteſt: Sic enim vt inquit Chriſoſtomus, Malos qui monet offendit, et incurrit odium qui redarguit criminoſos, Innocentiæ inimicis ſemper odioſa fuit libertas: Nam uirtus contraria vitioſis, exoſa ſacrilegis eſt ſanctitas, Inimica eſt caſtitas impudicis, corruptis integritas eſt pœna, Luxurioſis eſt aduerſa fragilitas, Crudelibus eſt ſemper dura miſericordia, Impiis pietas non ferenda. Hinc hominum ſua errata redargui

dargui

dargui nolentium, in concionatores exarse-
runt inuidiæ. Ea est & fuit, Beatissime Pater,
omnium ferè temporum deflenda calamitas,
quod, cum omnes, veritatem inuocare, colere,
demirari, & reformationem, oculis in Cælum
sublatis, perstrepere videatur, nemo tamen cor
ripientem se, sustinere potest: Hoc enim ha-
bet humanæ naturæ conditio, vt aliud nolit au-
dire, quàm quod animo decreuerit exercere;
haud absimilis, febricitantibus aut ineuitabili
morbo laborantibus, qui etsi multos sibi me-
dicos adhibent, nullam tamen ad crebra reme-
dia, corporis valetudinem recipiunt. Hanc
amaritudinem, hoc inuidiæ uenenum, experti
sunt, post Christum, post Apostolos, multi sin
gularum ætatum principes in Ecclesia uiri, qui
pastores constituti, vt ordinata custodirent, er-
rata corrigerent, uitam & mores subditorum,
verbo & exemplo componerent, sua doctrina
& meritis, Ecclesiam Dei non aliter quàm hic
sol, mundum illustrarunt, vt ex tam multis
paucos commemorem, Athanasium Alexan-
drinum: Chrisostomum Constantinopolitanæ
Ecclesiæ præfectum, Gregorium Nazianze-
num Cappadocem nobilem, ex singulari diui-
narum literarum scientia, Theologi nomen
asse-

Xistus tertius Pontif. Max. Epist. de malis doctoribus, operibus fidei & futuro Iudicio.

assecutum. Scribit & Augustinus se impietate, & malitia auditorum, scolam & cathedram deseruisse; Cambyses & Zammeris Magi, cum suis discipulis ad internecionem usque irruunt, in Taurinum Aurelianēsem Episcopum, quod cum viuente nec dictis nec factis contendere potuissent Nec verò attinet, patiētiam vestram, Beatissime Pater, eorum commemoratione superuacanea onerare, qui passi secundum voluntatem Dei, fideli Creatori, commendarunt animas suas in benefactis suis. Cum verò nemo nesciat, hoc idem inuidiæ venenum omnes illos ueteris Ecclesiæ ministros, in Apostolis, atque adeò Christo Domino nostro, exemplū statuentes, posteris omnibus propinasse, Minus mirum videbitur, Beatissime Pater, si, in prædicatione Euangelij & Theologica professione, quidam tantum consequi non potuerint, quin, in maleuolorum quorundam rerum omnium bonarum fastidio laborantium, calumniam (quam non solùm falsam criminum impositionem, sed & eorum quæ rectè & syncerè explicari possunt, peruersam interpretationem appello) inciderint. Quæ eó frequentior inter homines est, quo facilior, Nemo enim inquit Augustinus vnquam ita locutus est, ut in omnibus,

1. cōfess.

bus, ab omnibus intelligi potuerit, ut uideamus in hac Theologica professione, antesignanos illos, Christianæ Religionis, non modo solidissima fundamenta, sed & clarissima lumina, præclarè in munere suo versatos, hanc inuidiæ calumniæque labem, uel inuitos ad infamiam hominum subijsse. Quod quidem stratagema, agnoscimus esse ueteratoris illius & uersipellis Serpentis rugientis, cui hoc maximè conuenire scribit Beatus Cyprianus, seruos Christi, mendacio lacerare, ut opinionibus falsis, gloriosum nomen infamet, ut conscientiæ sanctæ, quæ uirtutum lumine clarescunt, alienis rumoribus sordidentur: quo Spiritu nequam, acti multi, quibus aliena uirtus semper suspecta est, vt optimus quisque formidolosus: Multi; inquit Rex magnus Artaxerxes, bonitate principum & honore, qui eis collatus est, abusi sunt in superbiam, & non solum Regibus subiectos nituntur opprimere, sed tantam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias, nec contenti sunt gratias non agere beneficijs, et humanitatis in se iura uiolare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam, ac in tantum vesaniæ proruperunt, vt eos qui credita

Hester. 16.

sibi

officia diligenter obseruant, & ita cuncta agũt, vt magna laude digni sint, mendaciorum cuniculis conantur subuertere, dum aures principũ simplices, ex sua natura, alios æstmantes, callida fraude decipiunt, Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex iis quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus, Regum studia deprauantur. Quæ dæmonũ & hominum tendiculæ, multorum cõscientias, huc atque illuc, vt Cæsias nubes, pertraxerunt, vt minus de Christo, & ecclesia, quam oportebat, in summa rerũ necessitate cogitarint: Ideoque Regius vates, vbi gyganteam illam, & perpetem pugnam regni & mundi, conatusque irritos aduersariorum Christi & Ecclesię, citra salutiferum Christi auxilium depinxisset, inquit: Et nunc, Reges, intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite domino in timore & exultate ei cùm tremore, Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus & pereatis de via iusta. Quibus sanè verbis sanctissimus Rex & propheta Dauid, adhortatur omnes & Reges & principes, ad sanctam beatamque deditionẽ, vt sese, inquam, sponte Domino Regi Christo subiiciant, eiusque verbo auscultationem perquam beneuolam præstent, Primogenitum vni- Psal. 2.

 uersæ

uerſæ creaturæ ſuſcipiant, diſciplinam ſeu reprehenſionem benignè ſuſtineant, cui ſolũ inimicus eſt animus, qui vel errando eam neſcit eſſe ſaluberrimam, vel odit ægrotando medicinam: Sic enim, eorum ſaluti optimè conſuletur, omniaque ex animi ſententia fœlicius multò, per Regis ſummi Dei benedictionem contingent, & quam, à ſubditis obedientiam exigunt, facile impetrauerint, ſi Deo, eiuſq; Vicario Põtifici Rom. debita iura nulla auctoritate violauerint. Quod quam verum ſit, ex ſacris literis facile dignoſcetur, in Saule quidem, primo Rege Iſraelitarum, Salomone, Roboamo, Iora & Ochoſia, qui quandiu in lege Domini ambularunt, victoriis clari, percelebres extiterunt, præuaricati verò legem Domini, miſerandos & ſe dignos exitus experti ſunt, Eadem de Maſnaſſe & cæteris ratio. Ex quibus concludendum, totam Regum & Regnorum fęlicitatem, ex obſeruantia diuini cultus, Infælicitatem verò ex contemptu & negligentia religionis prouenire, Teſtes ampliſſimi, Abia Rex, Ioſaphat, Ezechias, Ioſia, qui, vnicum inter Reges Tribus Iuda lumẽ extitit. Quæ cum ita ſint, o Reges, o principes terræ, ſeruite Deo in timore, ne aliquid iniquũ, tentetis in ſubditos per potentiam, ne Rempub.

 pri-

priuatis tantùm vestris commodis studentes negligatis, Apprehendite disciplinam, suscipite reprehensionem, & increpationem iuxta legẽ & verbum, quod saluti uobis futurum est, ne pereatis de uia iusta: Probate spiritus an ex Deo sint, ne quis uos seducat, ne quis vos decipiat per inanem philosophiam & elementa huius mundi, blanditijs & hominum assentationibus, tanquam ad Cyrenum voces, aures vestras cera occludite: Plerique enim subdoli operarii in domibus vestris, o principes, similes muscis circumuolitantibus ut obseruent partem, qua uulnus uos aliique geritis, vt mordeant, eaque se satiẽt; Videntes permultos sanctissimos uiros, nec auro, nec argento, nec cæteris rebus omnibus, quibus mortales omnes quasi captiui & irretiti teneri solent, à veritatis tramite, ne latum, quod aiunt, unguem dimoueri potuisse, dedecoris & Infamiæ metu, collabentibus manibus superatos (Vt enim pretiosissima quæque sua natura, summaque arte leuigata, accepta semel macula, quanuis exactissime emundetur, nõ possunt non nisi ad infamiam, vestigium aliquod retinere, sic uir quantumlibet bonus, Ganeonis cuiusdam oris uirulentia perfusus, & dente Theonino læsus, uix ac ne uix quidem facere potest *Iust. martyr. contra Triphon.*

D 2 (adeo

(adeo hominum varia sunt hodie ingenia, vt suspicionis labem ex hominum mentibus, penitus euellat, emaculet) a decennio, ne superiora tempora repetamus, acuerunt, vt loquitur propheta, linguas suas sicut serpentes, & viros spectatæ auctoritatis, fidei singularis, doctrinæ admirabilis, ratæ probitatis, proditionis, seditionis, Idolatriæ, ac aliis nefandissimis rumoribus, voce & scripto, nec præmonentis Dei comminatione, nec futuri Iudicij vltione territos, incusarunt, infamarunt, Quo suspitione uiolata eorum fides et virtus, veritati doctrinæ, licentius reclamaretur, atque auctoritati detraheretur, quo tādem exosi principibus, sibi uel silentium imponerent, uel de illa redarguendi libertate, vere apostolica perterrefacti, nonnihil remittant. Quamobrem, multi de silentio sibi indicendo, prudenter magis quám Christiane, meo iudicio, cogitarunt. Quis enim (inquiunt) in ea, qua versatur humanum genus infirmitate ac malitia, non elegerit ac potius malit, cum aliqua suarum fortunarum iactura, silentium, quàm dicendo, nihil aliud quàm odium quærere, præteritam vitam, exanthlatos labores pro Christo et ecclesia, denique quod superest vitæ tempus, sinistra quadam seditio-

Huius generis exempla multa sunt apud Ius. mar. Apol. 1. & 2. et apud Tert.

nis,

nis, perturbationis suspicione, apud Catholicam sedem fœdari, commaculari, in cuius sententia conquiescere, & in eius existimatione esse, pulcherrimum semper putauit, Ioannes Damascenus. Itaque Nanzanzenus, cum Constantinopolim ciuitatem, hereseon purgatam erroribus, ad catholicam fidem adduxisset, quod omnium summum amorem conciliare debuerat, multorum parauit inuidiam. Ita regium est cum benefeceris male audire. Nam magna suborta seditione Nanzansum rediens, delecto successore, totum se ad contemplationem, & scriptionem diuinarum rerum contulit. Ita perturbat sapientem calumnia, vt prope perdat robur cordis illius; superfluè etiam positis extra ecclesiam resistimus, si ab his qui intus sunt, vulneramur. Si filij Israel non audiunt, quomodo audiet Pharao? Verumenimverò in tanta animorum & opinionum varietate, quasi inter Syllam & Carybdim positi, in spe & patientia, qua leuius fit, quidquid corrigere nefas est, ad Dominum, oculos côuertamus, qui nouit pios, de tentatione eripere, impios verò, in diem Iudicij reseruare cruciandos. Audiamus quid loquatur in nobis Dominus, & cum Apostolis spiritu sancto incalefacti, dicamus, Non possu-

Eccl. 7.

mus

mus vocati, & iussi, quæ vidimus, quæ audiuimus, quæ scimus, non loqui; in reprehensione sanè, pro zelo veritatis neque tardandum, neque dissimulandum, sed opportunè & importunè ingerenda est nolentibus doctrinæ veritas; Liberet ecclesiastes, in cathedra doctrinæ, animam suam: Quid illi detractiones, odia, quid irrisiones, quid Ludibria, quid persecutiones? foelix mors quam veritas peperit. Sic Paulus: vbi ex vinculis suis progressum euangelij ostendit, in nullo inquit confundar, sed in omni fiducia, sicut semper & nunc magnificabitur Christus, in corpore meo, siue per vitã, siue per mortem: Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum, Meminerimus duorum Apostolorum Petri ad Christum, si oporteat me mori tecum non te negabo, Thomæ ad Coapostolos, Eamus & nos & moriamur cum illo, Quandoquidem Christiani perfecti vel esse non possumus, vel durare diutius, cum non solum datum sit nobis vt in Christum credamus, sed vt pro eo patiamur, si ad hoc ventum sit, vt perditorũ minas, insidias, oblocutiones pertinescamus, Meminerimus, Apostolos omnes, carceribus & cæculeis conclusos, angustiatos, verberibus cæsos, fustibus percussos, multisque alijs supplicio-

Gerson tomo 4.

ad Phil. 1.

cyp. epis. ad fra. lib. 3.

ciorum & cruciatum generibus, post prophetas et intermedium Ioannem Baptistam, diuexatos: Sic enim catholica mater omnium Ecclesia, per totum orbem longè lateque diffusa, in ipso capite Iesu Christo adocta, contumelias Crucis & mortem non timere didicit, magis magisque roborata est, non resistendo, sed perferendo. Cedo, iam, ad consolationem nostram, ubi Herodes? vbi Pilatus? vbi cæteri prophetarum, Apostolorum, & Martyrum, Cæsares cæsores? In inferno, vbi sempiternus horror inhabitat. Quæro, vbi Ioannes, vbi Petrus, vbi Paulus, vbi cæteri, qui digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati: In Cœlo, cum Christo triumphãt, pulchriores equidem, mihi videntur, cathenæ Pauli, armillis, vincula Petri, optabiliora, purpura Neronis, malim Carcerem Ioannis, quàm tronum Herodis, coronam Martyrum, quàm diadema Regum eiulatum & fletum Innocentum, quàm Herodianorum tripudium, & psallentes uoces, ulcera Lazari, quam byssum & purpuram diuitis epulonis. Nunquam autem valde mihi placuit, nostrorum politicorum, illud inter Christianos, tám crebris sermonibus vsurpatum, Seruiendum tempori, Quid enim quæso

est,

est, seruire tempori, quàm hominum uitiis indulgere, quàm dissimulando, peccatis aliorum communicare; quam hypocritam esse? vt singulari quadam epistola, venerabilis Gersonius ostendit: Equidem Deo seruiendum non tempori: Etsi enim multa sunt interdum, in quibus adhibenda sit amphora Epicteti, & quæ pro necessitate temporum aut conditione ætatum & locorum temperanda videantur, eatenus tamen perferenda, quatenus citra contumeliam Creatoris & proximi offensionem dissimulari, tolerarique posse videbuntur. Ac licet veritas, in corripiendo dicenda sit, ipsa tamen, aliqua honestatis, pudoris, & opportunitatis specie uestienda est, nec quælibet veritas, eodem modo est detegenda, nec omnes æqua sorte reprehendendi, Seniorem ne increpaueris, inquit Paulus, sed vt patrem obsecra, sic ratio ordinum, ætatum, morum, pensanda est; sic importunitas Pauli, suam habet opportunitatem, Atque etiam prudentes medici, solent ex male affectis corporibus, vitiosos humores paulatim educere, ne si semel vniuersum exhaurire uoluerint, quos sanare conantur, perimant. Ergo, carissimi, nolite peregrinari, in feruore qui ad tentationem uobis fit, quasi noui uobis aliquid acciderit, sed communi-

1. ad Timot. 5.

1. Pet. 4.

fii

municantes Christi passionibus, gaudete, ut & in reuelatione gloriæ Dei, gaudeatis exultantes: Si exprobramini in nomine Christi, Beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ & uirtutis Dei, & qui est eius spiritus super uos requiescet. Nemo autem uestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledictus, aut alienorum appetitor, si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine, quia tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei. In omnibus ergo, exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigiliis, in ieiuniis, in castitate, in sciētia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute Dei, per arma iustitiæ, a dextris, & a sinistris per gloriā & ignobilitatē; per infamiā & bonā famā, ut seductores & ueraces, sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes & ecce uiuimus, ut castigati et non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, omnia autem possiden-

2. Cor. 6.

Ephes. 4 & 6.

tes, Induamur armis Dei, vt poſſimus ſtare ad uerſus carnem & ſanguinem, aduerſus princi-pes & poteſtates harum tenebrarum, Neceſſe eſt enim eum qui voluerit, in hoc profeſſionis genere pro dignitate verſari, ut Apoſtolorum, confeſſorum & Martyrum recolendo memo-riam, habeat Zelum cum ſcientia: Nam ſine
Ion. Zelo, tepidus & frigidus erit, ſine ſcientia indi-ſcretus & temerarius, Fortitudinem, ab inhabi-tante ſpiritu, quæ in deſpicientia rerum huma-narum & contemptu mortis ſpectatur, qua lo-quatur in conſpectu Regum & non confunda-tur, qua confirmatus Paulus, inquit, Quis nos ſeparabit a caritate Dei, an perſecutio, an fa-mes, an ſublimitas, an profundum? Patientiam quæ neceſſaria eſt ut quis perſeueret, Vitæ ſan-ctimoniam ſine qua, cum oratione, haud du-bie digna reprehēſione corripimur & blaſphe-matur nomen Dei inter gentes, reique omnium habemur qui noſtro exemplo perierunt. Idcirco Apoſtolus omnes, in uno Timotheo edocens,
2. Thim. 3. inquit: Præbe te, in omnibus exemplum bono-rum operum, in doctrina, in integritate, in gra-uitate, verbum ſanum. et irreprehenſibile, ut qui ex aduerſo eſt, vereatur nihil habens ma-lum dicere de uobis, faciunt enim aduerſarij

Rhete-

Rhetorum more et consuetudine, qui ex perso na, inuidiæ et calumniæ occasionem captant, cum vel improbare doctrinam, uel quod in pro posito est assequi nō possunt Summa planè om nia ac prope diuina in eo requirenda uidentur, qui in alterū dicere paratus est, ne qui gloriatur in lege, per præuaricationem, ut inquit Paulus, Deum in honoret, & probrosæ uoces in eum conijciantur, Qui alios doces teipsum non do ces, Medice cura teipsum: Dixit et Deus, peccatori. Quare tu enarras Iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum. Ponamus, quæso, aliquem non dum mysterio rum nostrorum, rationem accepisse, qui audie rit, Christianismum esse, imitationem diuinæ naturæ, et Christianum esse imitatorem Christi, nonne qualem uitam expertus fuerit, tale et nostrum numen diuinum existimauerit? Si Itaq; omnis omnis boni exēpla viderit, bonū haud dubiè, credet esse numen quod veneramur, si uerò affectibus plenus aliquis similem bestijs ui tam degat, atque alias in alias pro affectuum varietate transformetur formas, multasque ferarum, pro varia morum ingenijque mutatione induat species, ac referat, nonne per uitam suam id consequetur, ut quod a nobis creditur

Rom. 2.

Psal. 44

esse numen,digna ab Infidelibus reprehensione corripiatur, Ita profecto se res habere videtur: Esto aliquis, qui pingendi artem profiteatur, atque huic imperetur a Magistratu ut his qui procul habitant, Regis imaginem efformet ac insculpat, Si turpem aliquam ac deformem in tabula sculptam Regis speciem, Imaginem, nominarit, haud dubiè, credendum est indignaturam potestatem, quod species illa Regis, digna Imperio, propter Pictoris nescientiam, ab exteris improbetur et minore quàm decuit á populo honore excipiatur. Qualem enim in imagine & figura principem spectandum proponimus, talem & eius formam principem, quę in animo est, conijciendam exhibemus ac concludimus, Ponamus denique uaria, ex diuersis generibus & professionum ordinibus, quædam exempla, aliquem scilicet, qui se Medicum profiteatur, nunquam tamen vel de principijs physicis disputarit, uel geometriam didicerit Oratorem qui artis Rhetoricæ præcepta, & forensem strepitum accusantis & Rei nunquã audierit, nõne meritò, uterq; plausu manuũ sibilo, et cachinis vt circulator et præstigiator explodetur, ludo et scola detrudetur? Eodem prorsus se habet in re proposita modo, arroganter, sibi

quis

quis Christiani nomen vsurpet et Christianæ professionis scopum, et finem scrutando se inuenisse dicat, renuat autem esse id, et vita, quod Christiani nomen, pro nobis pollicetur, exprimere, nonne nomen ementitus; hypocrita, præstigiator, schenobates aut cybisteres dicetur, Ac in eum non iniucundè quadrabit, quod ab externis de Simia pantomima, vulgo circumfertur. Aiunt in Alexandria, Circulatorem ac prestigiatorem quendam, exercuisse atque ita docuisse Simiam, ut agilitate quadam, in formā et habitum saltatricis sese componeret, eique saltatricis apposuisse personam, ac vestem dedisse exercitio conuenientem, Cumque, ei Chorum adhibuisset, placuisse; ac celebratam hominum sermonibus, quod ad cantilenæ modos & numerum sese flecteret & contorqueret, Ac per omnia quæ faciebat & facere videbatur, naturam occultaret, in prætio fuisse: Cum autem rei nouitate capti essent spectatores, quidam cæteris astutior, Ludo inhiantibus, iucundo spectaculo ostendit, Simiam semper esse simiam, etiam si induatur purpura, Acclamātibus enim

Gregor. Nysse. ad Harmo.

uitant. Illam uerò nihil cunctantem, ut vidit ante chorum disperfa amigdala, oblitam saltationis & plausuum et vestis, accurrisse ad ea, manuumque palmis collegisse, quę inueniret, & ne sibi ipsa impedimento esset, personam ori celeriter detraxisse, vnguibus suis assimulatam formam corrupisse, atque ita pro laudibus & admiratione, risum abundè spectatoribus mouisse, vt quæ turpis ac ridicula, ex personæ reliquijs, sese conspiciendam præberet: Vt ergo illi, non satis fuit, falsa, assimulata, adscitaque forma, ad hoc, ut homo existimaretur, deprehensa, per ingluuiem bellariorum natura, ità qui non syncerè ipsam naturam vera & viua fide per caritatem operante formarunt, facilè per diaboli escam & ingluuiem, quod aliud sunt atque præ se ferunt ac profitentur, conuincentur, Pro caricis enim vel amigdalis aut huius generis alimento vana gloria, ambitio, lucri studium, uoluptatis desiderium et similia huius generis, mala diaboli annona, auidis hominibus loco bellariorum proposita, simiarum animos similes, facile prodent, qui per fictam imitationem, Christianismum simulant, temperantiæ, mansuetudinis, aut alicuius alterius virtutis personam, in tempore afflictionum & calamitatum sibi detrahentes, quibus ad irretiendum satis fallacibus

usi

usi erant aucupiis. Quicquid enim facinoris audent homines, aut auaritiæ persuasu, aut uoluptatis, aut honoris fallacia patrant, & ut inquit, beatus Cyprianus, de ieiunio loquens, nulli religionis exercitio, frandulentius inanis gloria adulatur, nulli virtuti ità fauor blãditur, Ieiuniorũ sudoribus; laus importuna se ingerit, virtutẽ in hypocrisim & simpliciter inchoata peruertit, quasi tinea, quod erat integrũ rodit & occupat, et sanctitatis fundamenta euellit, subtilissimum sanè malum, proprio laqueo hypocritã iugulat, & propriis armis sanctitatem impugnat;

Gall. lib. quod optimus medicus idẽ sit & philosophus.

Cypr. de ieiunio & tentationib. Christi.

Quamobrem Beatissime Pater cum Christiano homini & Ecclesiastæ tam necessaria sit nomini respondens actio, ut sine ea salutem cõsequi non possit, operepretium fecisse videbor, si Christianismi professionem, nominisque appellationem quasi proludendo inquisiero.

Christianismum ac Christianum a Christo dici, certius est, quàm vt pluribus agere debeamus, Christi enim nomen, etsi Regem significet, ac singulari quodam scripturæ usu, regis benignitatem indicet. Tamen quia numen

ad incorruptibilem Dei naturam Deoque conuenientem, quàm commodè potuerunt, intelligentiam, variis distinctionum & appellationũ generibus, terrenis adhærendo mirè subleuarunt, vt ipsa primùm scilicet omnibus imposita potestas Regni nomine declaretur. Ea verò vis quæ omnibus affectibus perturbationibusq; expers est, ab omni pœnitus uitiositate ac malitia aliena, uirtutum nominibus designetur, sic ut quælibet virtus, de natura excellentiore tùm dicatur, tùm intelligatur, ut quæcumque his venerandis nominibus expressa, nostro modo, intelligentia; nihil aliud sit, quàm Christus, qui est verissimè Iustitia, sapientia, bonitas, patientia, veritas, uita, pax, incorruptibilitas, virtusque variare nescia, Conuenit ergo, vt si eius nominis; quod excellit inter ea nomina, quibus incorruptibilis & immortalis natura explicatur, participes esse uelimus, qui per fidem in eum, cum ipso, & per ipsum coniungimur, nobis cum illis omnibus nominis communionem intercedere, ut quemadmodum participatione Christi, appellationem adepti sumus, ità consequutione quadã omnium similium nominũ, quibus ineffabilis ac multiplex illa beatitudo explicatur, communionem, ac societatem, asciscamus. Nam qui, nomen quidem Christi assu

 mit,

mit, & ea quæ in hoc nomine oſtenduntur com
prehenſa, uita non exprimit, ac repreſentat
Chriſtiani perfecti nomē haud quaquā merebi
tur. Qui enim fieri poteſt vt Chriſtus, ſit Iuſtitia,
puritas, veritas, omnis mali vitatio, & cumulate
Chriſtianus horum nominū cōmunionem ac ſo
cietatem aliquatenus in ſe non oſtendat? & qui
verè filius Abrahæ ſit, opera Abrahæ non faci-
at? Concludendo itaque; perquam commodè,
Chriſtianiſmum definiemus imitationem diui-
næ naturæ: Nam & prima hominis fabricatio ad
imitationem & ſimilitudinem Dei erat, Moyſe
de homine, ita philoſophante: Et creauit Deus
hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.
Chriſtianiſmi autem profeſſio & ſtatus eſt, vt ho
mo quaſi poſtliminio, ad priſtinam ac deperdi-
tam peccato hæreditatem, redeat, Hic denique
videtur finis eſſe ſcripturæ diuinitus inſpiratæ,
quam Paulus, inquit, vtilem eſſe ad docendum, *2. ad Thimoth. 3.*
ad arguendum, ad corripiendum, ad erudien-
dum in Iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad
omne opus bonū inſtructus, Recte igitur Chri
ſtianiſmum, imitationē diuinæ naturæ & Chri-

ri poteſt vt terrenus ſimilis fiat ei qui in Cœlis eſt? cum ea quæ in natura differentia conſiſtit, oſtendat, fieri non poſſe, vt imitando quis eò vſque pertingat, Qua de re, ſatis perſpicua oratio eſt: Non enim naturam humanam cum diuina comparari Iubet Euangelica ſentētia; ſed bonas actiones, quoad fieri poteſt bene viuēdo imitari, ab omni malitia tùm opere, tùm ſermone, tùm mente vacuos eſſe, quantum diuina permittit gratia. Id reuera & eius quæ circa Deum cœleſtem ſpectatur perfectionis imitatio eſt. Chriſtiani ergo cum ſimus, Ieiunantem Chriſtũ, Orãtem, Opera miſericordiæ exercētem, Plorantē ſuper Hieruſalem, & vno nomine chriſtũ, cuius omnis actio noſtra inſtructio eſt; imitemur, in noſtro corpore, mortificationem eius circumferentes, vt & vita Ieſu chriſti manifeſtetur in corporibus noſtris, ſicut in antiquis veteris nouiq; teſtamenti Patribus emicuit, qui impetraturi a Domino, Orationibus, remiſſionem peccatorũ, ſanitatem corporis, pacem, de Inimicis victoriam, immundorum Spirituum receſſum, eleuationem mentis ad Denm, virtutum præmia, cognitionem veritatis diuinæ, eiusque beatificantem viſionem, ieiuniįs animas ſuas afflixerunt, eleemoſynis peccata ſua redemerunt, memo-

Math. 5.

res

res inquam, nominis christiani & professionis Christianæ, ingressi hos dies mysticos & purificandis corporibus & animabus sacratius institutos promissa faciamus, testimonijs diuinis credamus, in lege & mandatis Dei ambulemus, nemini demus offensionem, nos maximè intelligo qui de christiani nominis, atque adeò Sacerdotij dignitate, supra cæteros gloriamur, quos conuenit semper laicis esse meliores: In omnibus exhibeamus nos, sicut ministros Dei, in multa patientia, in tribulationibus, in castitate, in caritate non ficta, in virtute Dei & Spiritus, in ieiunijs multis, Deum sine intermissione orantes, vt ad populi christiani salutem & afflictorum consolationem, hanc vrbem, hæc tecta, vestramque, Beatissime Pater, Sanctissimam clemētiam, diu multumque conseruet incolumem, vt deuictis ac triumphatis Romanæ fidei hostibus, destructis erroribus uniuersis, Ecclesia Deo secura seruire possit libertate, ac illud excellens super omnia, diuinæ passionis Sacramentum purificatis corporibus & animis celebrare, vt fiat in nobis, per probatam ac dignam corporis & sanguinis Christi sumptionē, fons aquæ vi

Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad Iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Daniel: 12.